



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 5. Ventorum vi, contra Pharaonem, allatæ locustæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Iost. in seruatorum; nã sine motu corpora ista com-
 Pſal. 134. putrescerent. Sunt laborantium refrigera-
 tio, & æstuantium voluptas. *Nulla propemo-
 dum regio est, qua nõ habeat aliquem flatum ex
 Senec. li. se nascentem, & circa se cadentem,* ait Seneca.
 5. nat. qq. An sine causa? causam vnicam è vicinia di-
 cap. 18. scamus, de qua vulgatissima est: *Austria ven-
 tosa, aut venenosa.* Alias causas Seneca recen-
 set, cùm de diductione nubium, & de diui-
 sione imbrium agit. Ait enim *in Italiam Au-
 stler impellit, Aquilo in Africam reicit. Etesia
 non patiuntur, apud nos, nubes consistere: Iidem
 totam Indiam, & Ethiopiam, continuis, per id
 tempus, aquis irrigat. Quid, quòd fruges perci-
 pi nõ possunt, nisi flatu superuacua admixta ser-
 uandis ventilarètur, nisi esset, quod segetem ex-
 citaret, & latentem frugem, ruptis velamentis
 suis, que folliculos agricole vocant, adaperiret?*

§. V.

*Ventorum vi, contra Pharaonem, allata
 locusta,*

Extra naturæ ordinem nonnullis Deus
 subinde regionibus, aut terris ventum indu-
 cit, vt cum illo, pro iustis pugnet, Qua in re
 beneficium maximum connectit, cum sup-
 plicio impiorum. Ad hunc modum *extendit*

Exod. 10. *Moyſes virgam, super terram Egypti, & Do-*
 13. *minu*

minus induxit ventum vrentem, tota illa die
 & nocte, & manè facto, ventus vrens leuauit
 locustas, qua ascenderunt super vniuersam ter-
 ram Ægypti, & sederunt in cunctis sinibus Æ-
 gyptiorum innumerabiles. Quales, ante illud tē-
 pus, nō fuerant, nec postea futura sunt. Operue-
 runtque vniuersam superficiem terra, vastantes
 omnia. Ventus has locustas attulit, in pœnā
 peruersorū; in bonorum defensionē. Quo-
 rum vtrumque bonum quoddam est. Nouit
 enim simul diuina potētia, *Parcere subiectis,*
 & *debellare superbos.* Ecce quales instruxit aci-
 es, quibus ex ordinibus sua castra compleuit Do-
 minus, pugnando pro Israël, in Ægyptios; ait

Rupert:
 li. i. Com-
 ment. in
 Exod. ca.
 38.

Rupertus. Locustæ hæ, in Ægypto, genitæ
 non fuerunt, sed extra, in desertis Arabiæ,
 vel Æthiopiæ locis. Vento igitur in Ægy-
 ptum fuerunt deportandæ, & vento vrente,
 vt scriptura loquitur, quem rectius Philo
 existimat, fuisse Austrum: cum & LXX. in-
 terpres eum *Notum* appellēt; & non sub-
 solanus Oriētalis, sed *Auster sit vētus vrens.*
 Quam potens tunc pariter & sapiens fuit
 ira DEI, contra superbiam Pharaonis, non
 ferro armatas, & hastato milite onustas
 classes aduocans; sed ita leuis armaturæ co-
 hortēs adducens, vt possent à vento porta-

Loc. cit.

ri? Rane, ait idem Rupertus, Sciniphes, musca, atque locusta fuerunt castrorum eius acies, & huiusmodi cohortibus totas contra fortes Aegyptios composuit legiones. Singuli milites, secundum se, breues quidem & infirmi, verum, pro exercitibus Pharaonis, satis valentes fuere, duce imperio Dei. Nempe quod multus hominum exercitus facere non potuisset, iste Phalanges locustarum strenua peregere militia. Operuerunt enim uniuersam superficiem terra. Quamobrem festinus Pharaon, tanquam ad deditiorem, vocauit Moysen & Aaron, duces tanti exercitus atque Primates Imperatoris Dei. Rogate, inquit, Dominum Deum vestrum, ut auferat mortem hanc a me. Hoc velut deditius dixit. Nonne magnus & excellens est Imperator, qui vento potest suos hostes difflare? vento milites aduehere? & tali milite victoriam obtinere? Incredible nonnullis videtur, militem alicubi cataphractum vento, in aëra, fuisse sublatum. Totos Deus exercitus, vento, de regione, in regionem, transfert, ut expugnet ventosos.

§. VI.

Ventus quid fecerit in mari rubro siccando?

Quin ipsa quoque maria vento difflat, ut

Exod. 14. 2 l. viam faciat transitoris. Nam, cum extendisset